



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

VI. Bischof Heidenreich von Brandenburg bestätigt dem Probste zu Zehdenick die ihm über die zum Kloster gehörigen Pfarre beigelegten Synodalrechte, am 15. März 1289.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

Salutem et sinceram in Domino caritatem — pro diuina reuerentia viteque uestre meritis exigentibus delectamur vos prosequi dono gratie specialis, presertim in his, que salutem promouent animarum. Inde est, quod deuotionis uestre precibus annuentes, omnibus uere penitentibus et confessis, qui in festo beati Georgii, Martini et octo diebus immediate sequentibus ad ecclesiam uestram causa deuotionis accesserint, Ipsisque qui uobis pro edificiis construendis seu pro aliis uestris necessitatibus subleuandis manum porrexerint adiutricem, duas karenas de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Magdeburgh, Anno Domini M. CC. LXXXVII.

Datum sub secreto dni Theodorici, episcopi Brandeburgensis.

Nach alter Copie.

V. Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Kloster 16 Hufen Landes im Dorfe Mutz, am 27. Juni 1288.

Otto et Conradus, dei gratia marchiones Brandeburgenses, omnibus in perpetuum. Quod felix voluntas principum ordinat atque donat, fulciri solet scriptis autenticis, ne eorum posteris exinde dubietas aliqua oriatur. Inde est, quod ad uniuersorum notitiam cum manifesta recognitione presentium cupimus pervenire, quod ob honorem dei omnipotentis et gloriose virginis matris ejus Marie ac in remissionem nostrorum peccaminum, conventui sanctimonialium in Cedenik proprietatem super sedecim mansis in villa Mostiz sitis dedimus possidendam pacifice temporibus perpetuis pleno jure, quos uidelicet mansos prius dominus Thethardus de Wozftrow cum consensu patruelium suorum et nostra consciencia ac permissione dictis sanctimonialibus emptionis titulo dereliquit. Ut autem hec nostra proprietatis donatio per nos nostrosque successores hereditarios stabilis permaneat ac perpetuo inconcussa, presens autenticum super hujusmodi confici iussimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Hujus rei testes sunt Hasso de Wedele, Wilhelmus de Kerkowe, Henricus de doffa, Tethardus de Wostrow, milites, et complures alii fide digni. Datum Botzowe, Anno domini MCCLXXXVIII<sup>o</sup>, V<sup>o</sup> kal. Julii.

Nach dem Original im Besitze des Stifte.

VI. Bischof Heydenreich von Brandenburg bestätigt dem Probst zu Zehdenick die ihm über die zum Kloster gehörigen Pfarren beigelegten Synodalrechte, am 15. März 1289.

Nos heydenricus, dei gracia Episcopus Brandeburgensis, recognoscimus et tenore presentium publice protestamur, nos uidisse litteras domini Ottonis, bone memorie Episcopi Brandeburgensis, predecessoris nostri, non cancellatas, abollitas nec in aliqua parte sui viciatas, in quibus concessum dinoscitur preposito sanctimonialium in Cedenic, qui pro tempore fuerit, presidere sinodis in ecclesiis, que tunc pleno jure ad idem cenobium pertinebant, quarum nomina in predicti domini Ottonis litteris expressius exprimentur. Similiter vidimus litteras renunciationis

magistri Theodorici de Hendrop, quondam prepositi de Liuenwalde, qui ob salutem anime sue in subsidium dominarum iam dicti cenobii et de consensu dyocesani renunciavit plane procuratori, fructibus, prouentibus et specialiter omni iuri, quod sibi de predictis ecclesiis poterat amplius euenire. Horum quoque literarum virorum vestigiis inherentes, predictas concessionem et renunciationem quantum in nobis est — ratas habemus, patientes presentes litteras sigilli nostri munimine roborari. Datum Scropefдорp, Anno domini M° CC° LXXXIX°, XVIII° kal. aprilis.

Nach dem Original im Besitz des Stifts.

VII. Die Markgrafen Otto und Konrad verkaufen der Stadt Zehdenick die Holzstätte und die Hälfte eines Sees, am 17. Juni 1299.

Otto et Conradus, Dei Gratia de Brandenburg et Landesberge Marchiones, omnibus hanc Literam auditoris Salutem. Que sunt in tempore, ne simul cum tempore desuuant evanescantque, expedit ea scriptis et testibus memoriter et firmiter stabiliri. Proinde notum esse cupimus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus universis, quod nos merito utilitatibus commodis et profectibus nostrorum Burgensium dilectorum Civitatis Zedenick intendentes, ipsis vendidimus, pro triginta talentis et decem Choris avene libere conferentes totum nemus, dictum die Holtzstedte, sub Monte Berbomischen Bergen, a metis sive Marck-Schedis illorum de Behr-woldestorff, ubi usque Lacus effluit sive exit versus loca, ubi quondam stabant fornacula, Peckhöfen nominata. Item dimidietas lacus progredientis ad viam inter Falckenthal et Zedenick, ubi pons fluentum transit, cum tota distinctione, dicta die Wendemarck, cum omnibus lignis, agris, pascuis, infra omnes supranominatas metas interclusis, sive Marckschedis Civitati Zedenick, sine aliqua dimensuratione perpetuo facienda liberrime attinebit. Preterea ne hujusmodi nostra Venditio, a nobis rationabiliter facta et etiam ordinata, nostrorumque Burgensium predictorum emptio per Nos vel Successores nostros heredes, Advocatos, officiales vel aliquos alios in toto mundo valeat immutari, Contradictione impediendum vel aliqua Versutia interveniente, impediri seu infringi, sepe dictis nostris Burgensibus, presentem literam conferimus nostrorum sigillorum appensionibus stabiliter perpetuis temporibus publice communitam. Hujus itaque rei testes sunt strenui milites et armigeri subscripti Dominus Johannes de Oldenflete, Dominus Jodekinus de Griffenberge, Dominus Romele, Dominus Raven, tunc temporis Dapifer, Dominus Gallus, tunc temporis Advocatus Leuenwalde, Dominus Busse de Kocksted, Dominus Otto de Holtzen-dorff, tunc Marscalcus, Magister Heinemannus venator et suus filius Hermannus et alii viri honesti tam armigeri quam Burgenses plurimi fide digni. Acta sunt hec super Grimnitz, Anno incarnationis Dni. nostri Jesu Christi Millesimo Ducentesimo nonagesimo nono, feria quarta proxima post festum beatorum Martyrum Viti et Modesti et Crescentie Virginis, quindecimo Calendas Julii, datum per manus Marquardi, Notarii tunc dilecti nostre Curie Capellani.

Aus verglichenen alten Transsumten.